honestate, pudoreq; abiecto, ac boni nominis fama, honore, dignitateq; omni al neglecto inuerecundo ore malunt impuden-ter mendicare, quam honeste laborando sibi victum comparare sed eos etiam, qui cum pauperes sint tales tn̄ aut videri nolunt, aut nescio quibus maleficijs, nefandisq; sceleribus per fas, et ne-fas sese, suamq; inopiam subleuare, ac depellere satagunt. Quare antequam vlterius progrediamur, primum vnde tam foedum, tam horrendum, tamq; immane monstrum oriatur quemnam originis suæ fontem, parentemq; agnoscat, quæren-dum nobis est: quapropter à vobis peto AA. vt hoc meum stu-dium equi, boniq; facere, et Beneuolentiæ vr̄æ alis subleuare, ac promptas, vt hactenus soletis aures præbere velitis.

Mortalitatem nr̄am æstimanti, vix tantam labem, ac coenæ Christianæ reipub. pestem ab hominibus in hunc mundum inferri potuisse occurrit, sed reuulsos quispiam putet inferos, atq; furiarum cateruas erupisse, quæ tantum inter miseros mor-tales ferrent malum, ac propagarent. Dicam equidem AA. dicam quod sentio, Pauperiem, ac Mendicitatem non nisi per otium, quod om̄ium malorum sentina, vitiorum omnium m̄r, et schola est in hoc orbis theatrum esse in-vectas [illegible], quod etiam sapi-entissimus ille regum Hebræorum, ac diuinum oraculum Salomon in prouerbijs suis testatur. Qui sectatur inquit otium, replebitur egestate; quia omnis piger semper in egestate est; et vbi non sunt boues, ibi præsepe vacuum est; propter frigus quoq; piger arare noluit, mendicabit ergo in æstate, et non dabitur illi, nam qui parce semi-nat, parcè et metet; et si quis ~~arare~~ non vult operari